

05

A

757





IN
SYSTEMATIS THEOLOGICI PARTEM
Primam Generalem,

DE RELIGIONE ET EJUS ARTICULIS
generatim consideratis

DISPUTATIO IX.

De
RELIGIONE
TURCICA,

Quam
DEI ter Optimi Maximi Clementia
Feliciter Adspirante,

In Illustri Leucorea

SUB PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI
S.S. Th. Doct. & Prof. publ.

Ad placidam συζήτησιν proponit

M. ADAMUS Mahner / Uratislav, Siles.

Ad diem 10. Maij horis pomerid. in Auditorio Minori.



WITTEBERGÆ,

Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI,

ANNO M DC XXVI.



VIRIS

*Magnificis Nobilissimis Amplissimis, Prudenti Gravitate,
gravi eruditione, erudita virtute, & virtuosa auctoritate
Præstantissimis.*

Dn. ADAMO Sabisch in Marschwitz Hæreditario,
Sac. Cæs. ac Reg. Majestatis Consiliario, nec non Ducatus
Uratisl. Capitaneo ut spectatissimo, ita meritissimo.

Dn. CHRISTOPHORO Poley } Ordinis Senatorii Uratisl.
à Thiergarten. } honoratissimis, & Scholarum

Dn. PAULO NEANDRO. } ibid. Præsidibus dignissimis.

ITEM

Admodum Reverendo, Excellentissimis, Clarissimis,

Dn. ZACHARIÆ HERMANNO, S. S. Theol.
Doctore eximio Pastore in Æde sacra quæ est Uratisl. ad
D. Elisabetham primario, ibidemq; cæter. Eccl. & Scho-
larum Inspectori vigilantissimo.

Dn. MICHAELI Döring / Philos. & Med. Doctore
Celeberrimo, & Reipubl. Uratisl. Physico or-
dinario.

NEC NON

Integerrimo, Spectatissimo Humanissimo,

Dn. Gotifridt Martin / Civi & Mercatori Uratisl,
non postremo.

*Dn. Mæcenatibus, Evergetis, promotoribus & Fautoribus
meis nullo non observantia cultu æviternum prosequendis.*

Hanc de Turcismo Agione ψω

In mei meorumq; studiorum commendationem

Officiose ac demissè

Offero, Dico, Dedico.

M. ADAMUS Mahner / Uratisl.

Aut. & Resp.



05 A 757



Σὺν Θεῷ

DISPUTATIONIS IX.

Prooemium.



*U*od sit vita mortalium pronior semper ad lapsum, quàm in bono constantior, universe ferè Asia & Africa incolæ luculentum perhibent testimonium: Hi enim venenum pessimum (quod uniuersam in Asia & Africa religionem Christianam delevit) Impietatis Turcica, à pessimo homine propinatum intra sex annorum spatium, si Polydoro Virgilio credimus, eò usq; imbibebunt, ut omnem omninò vere pietatis scintillulam radicibus e cordibus ipsorum evulserit, & incredibiliter absumpsit. Quam Pestem teterrimam hac Disquisitione, ordine ita nostro volente, contemplaturi & proposituri, Deum Clementissimum Patrem Domini nostri Jesu Christi cum Spiritu sancto supplices veneramur & imploramus, ut suâ gratiâ nobiscum laboret, quò considerantes Theologia Turcica impietatem, magis magisq; incendamur ad veram pietatem. Ita fiat! ô fiat!

THEOREMA I.

Turcarum nomen variè deducitur, origo verò est à Mahomete.

Non potior quidem, prior tamen, vocum quàm rerum habenda est ratio, quippe illæ harum sunt significatrices, & cognitio illarum in faciliorem harum cognitionem nos deducit; ideoq; de Turcismo acturi non immeritò à Nominis definitione

Cur à Nominis fiat initiū.

*Turca non dicitur à Tru-
cfen.* auspicamur. Varia verò vocabuli TURCA, à quo Turcismus denominatur, est Etymologia: Goropius enim Becanus, qui contendit (malè tamen) origines vocum esse Cymbricas, illud deducit à Truſſen/ per metatheſin r / eò quod inhabitent terram

*Sed vel à טור
Iſmaelis filio.* aridam & ſiccam. Beckmannus de Orig. Lingu. & cum hoc Avenarius in Diction. Hebræo, aliive plures; Turcas dictos volunt à טור filio ſecundo Iſmaelis, cujus mentio fit Gen. 25. v. 13. per metatheſin literarum; quo reſpicere videntur partim ad familiam, à qua ortum trahunt, quum ſint maximam partem

*Primarii effe-
ctus Turcarum
Aven. in
Lexic.* Iſmaelitæ qui initiò vocabantur Hagareni: Partim ad effectus ipſorum qui obſcurare Solem Juſtitia, & triſtitia afficere pios, (טור enim radix, à qua eſt טור r. propriè ſignificat atra & funebri veſte indutum eſſe, prout ſolent eſſe funeſti & triſtes, ſicque ſummam triſtitiam & luctum denotat. 2. valdè Emphaticè, ob- tenebratum, obſcuratum & atratum eſſe, adeoq; nigredinem & obſcurationem notat.) Nigredine namq; vanæ ſuae & Idololatriæ opinionis univerſam terram implere, & veram Eccleſiæ Chriſtianae Religionem & cultum obſcurare, imò proſus delere conati ſunt & adhuc conantur Turcæ, ſicq; non pauca Chriſti membra ſumma triſtitia affecerunt, atq; etiamnum afficiunt.

Vel à טור Sunt præterea qui Turcas à טור calcando, conculcando, incedendo, vagando, &c. dici adſtruunt, egregià descriptione modum, quo ſuam auxerunt valdè potentiam exprimi exiſtımantes. Conculcando ſiquidem gentes ſibi adverſas, & pervagando armatâ manu plurimas inſulas & regiones, illas poteſtati ſuae ſubjecerunt tandemq; in tantum, quo nunc ſunt, proh dolor! imperium excreverunt. Unde non malè à Busbequio Epist. 1. Legat. Turcicæ magnis fluminibus comparantur, quæ uti aquis inflata ſi quam aggeris, quo continentur, partem percellere potuerint, longè lateq; evagantur, & infinitam dant ſtragem: ita Turcæ & quidem longè pernicioſius, ubi ſemel quæ ſibi obſtabant repagula diſjecerint, longè lateq; cum incredibile ſtrage graſſantur.

*Cur dicantur
gentes Gog &
Magog.* In ſacris literis dicuntur gentes Gog & Magog Ezech. 38 & Apoc. 20. v. 8. ita ut tectum extra tectum, id eſt, Eccleſiam extra Chriſti

Christi Ecclesiam esse notentur. Et vero valde convenienter in
eos, eorumq; adversus Ecclesiam molitiones, & superstitiones
execrabiles isthæ appellationes cadunt: Verè enim Gog sunt si-
ve tectum, quum orbem terrarum, multitudine suà velut tecto
obducant, uti patet è locis allegatis. Neq; minus verè sunt Gog
Magog, id est, tectum extra tectum, quum extra Ecclesiæ pome-
ria constituti, civitatem sanctam & castra sanctorum, obsidia-
ne externæ minacissime adoriantur, dicente Apostolo: Ad-
scenderunt (gentes Gog Magog) super latitudinem terræ, & cir-
cumierunt castra sanctorum, & civitatem dilectam, Apocal. 20.
vers. 9.

Aliàs ratione originis ab Antesignano & authore suo Ma-
hometo, Mahometani dicuntur. Hunc Mahometum Arabem
alii Ismaelitam nonnulli nobili genere natum, haud pauci sor-
dido loco genitum fuisse asserunt. Quidam liberalem educa-
tionem, optimamq; juventutis indolem prædicant, Alii in con-
trariam eunt sententiam vitam ipsius totam ita descriptam ex-
hibentes. Fuit Mahometh Ismaelita, sordido loco & obscuris
parentibus natus, qui puerilibus annis furaci quæstu & sordidis
artibus victum sibi quæsivit, adultus latrocinia fecit, quæ pro-
pter etiam à civibus urbis Mechæ ad mortem damnatus est; Vita
tamen donatus latrocinii nullum fecit finem, usq; dum capere-
tur à Scenitis Arabibus; Hi eum mercatori cuidam prædiviti,
cui nomen Abdimoneples, vendiderunt, cujus primum camelis
curandis, postea ob ingenii dexteritatem mercimoniis exercen-
dis præpositus est: Mortuo autem Abdimoneple relictam ejus-
dem prædivitem viduam in uxorem duxit, sicq; totius heri sui
relictæ substantiæ Dominus effectus est; Jam verò opibus in-
structus eminere non tantum, sed & prædonum circumdatus
exercitu Arabiæ rex salutari voluit, sicq; turbare Imperii Roma-
ni fines ausus est: Spe verò frustratus, & motibus hisce ab He-
raclio compressis, præterquam quòd se Dei Prophetam profite-
retur, & Heraclio Imperatori, Imperio jam ad occasum vergen-
te stipendia fecit. Uno verò atq; altero factò sub Heraclio il-
lustratus, ab Arabibus tandem seditionem in exercitu Heraclii

*Philippus Nico-
colai lib. 1. de
Regno Christi
c. 6.*

*Origo.
Mahometh
quo*

*Mahometh
vita.*

Boetius de
Rel. p. 29.

Facientibus Dux facinoris electus fuit, quibus cum & Saracenis
ita Heraclii duces superavit, ut parum abfuerit quin omnino im-
perii nomen deleteret captâ Alexandria multisque aliis Syriae &
Arabiae urbibus. Quibus feliciter gestis, homo hic extremae
impudicitiae & libidinis detestandae, quam non tantum citra om-
nem pudorem exercuit, sed & de eadem tanquam praecleara mi-
litia in Alcorano suo iis verbis, quae vel Agasonem pudeat refer-
re, gloriatus est, & novae Regni & Religionis formae author fuit,
sicque & Turcarum quos vocant, & Turcismi origo existi-
tit.

THEOREMA II.

*Turcismus est Religio falsa & superstitiosa, quam Ma-
bametb improborum suorum sociorum ope & auxilio ex Chri-
stiana, haeretica & Judaica consarcinavit, suisq; subditis ob-
servandam in Alcorano, huius Religionis principio, praescri-
psit, plena blasphemis, futilibus nugis & legibus detestan-
dis, eum lege partim divinâ partim naturali pugnantibus.*

Religio
quid?

Religionem in genere definitam esse certam quandam
agnitionis & cultus divini rationem, esuperioribus Disquisitio-
nibus nemini non constare aestimamus; quia verò non apud om-
nes ratio haec vera est, nec eadem, sed plurimorum, à vero illo
Deum agnoscendi & colendi modo, in sacris literis nobis praes-
cripto, Religio aberrat, enata est distinctio Religionis in veram
& falsam; Quarum illa unica est & simplex; haec vero multiplex:
Cum primis vero duarum specierum, Altera enim patefactam
verae Religionis normam prorsus repudiat & rejicit, & novam
quandam comminiscitur: Altera verò eandem quidem retinet,
pravis tamen vel interpretationibus & mutilationibus corrup-
pit, uti è variis Haeticorum Religionibus patet, vel substitutis
falsis & admisto fermento observationum & traditionum hu-
manarum & vanarum auget, uti videre est è nova Judaica &

Vera & falsa

Falsa du-
plex.

Ponti-

Pontificia. E quibus sua sponte patet rectè *Turcismi genus con-*
stitui religionem falsam & superstiosam: Est etenim 1. certa quæ-
 dam agnitionis & cultus divini ratio. Ergo religio, Cui enim
 Definitio illi & definitum competit. At 2. vera non est, Veram
 enim & divinitus patefactam religionis veræ normam proflus
 repudiat & novam illam à Mahometo excogitatam substituit.
 At sublata formâ rei, tollitur ejusdem esse, & per consequens res
 ipsa. Præterea addo, quòd de fundamentis fidei, sani habet
 & integri nihil, uti illud vel ex iis manifestum est, quæ de lapsu
 Angelorum ἀλόγως proponit, quod scilicet Deus angelis adora-
 tionem Adæ præceperit, & hoc facere nolentes Diaboli facti
 sint. 3. *Etiã superstiosa est,* quum non tam Deum (hunc enim
 licet unum credit, tamen nulla eum pietate colit Polyd. Virg.)
 quàm sui cordis figmenta & Mahometi cadaver cultu adficien-
 dum proponat: Sed hæc de genere.

Differentia porrò, quâ *Turcismus* ab aliis Religionibus fal-
 sis & superstiosis discernitur, quatuor in definitione proposita
 proponit 1. Authores: 2. Materiam ex qua: 3. Religionis fun-
 damentum & principium: & 4. Ejusdem summam.

Et quidem 1. quoad *Authores* Religionis hujus, licet non
 nihil variant authores s. scriptores; maxima tamen pars statuit
 indubitanter pestis hujus terribilissimæ inventorem Mahometum:
 Is quippe adjutus ab iis, qui professionem Christianismi, cum
 profanitate permutarunt, Sergio nimirum *Monacho Ariano,* & *Io-*
hanne Nestorio, quibus se adjunxit tertius *Judeus* quidam *Talmudi-*
sta, hominibus, ut res docet, improbis impuris & profanis, Re-
 ligionis *Turcicæ* formam compilavit & confarcinavit.

Non tamen è nihilo isthanc Mahometus produxit, sed
 2. *ex omnibus quæ habebantur tum Religionibus ea, quæ pro se facie-*
bant, excerpfit, eum scilicet in finem, ut facilius quibusvis,
 ut sibi adhærerent, persuaderet. Nam ut homo hic callidus,
 atque vaser ingenio *Judeos* ad se attraheret, Mosem extulit,
 circumcisionem retinet, unumve professus est Deum, ne *Chri-*
stianos alienos à se faciat, Christum summum prophetam.

Turcismus est
Religio.

Sed falsa.

Et supersti-
tiosa.

Religionis
Turcicæ

I. authores.

Boetius de Re-
lig. p. 28.

II. Materia
ex qua sunt
omnes quæ
tum fuerunt
religiones.

Mornæus de
Rel. t. 33. p.

cen-
769.

Polyd. Virg.
l. 7. de Invent.
rerum.

Richard. in
Refut. Alc. c. 4.

Osiander Epit.
Hist. Eccles.
Cent. 7. l. 1.
c. 16.

Boethius de
Rel. p. 39.

III. Funda-
mentum.

Alcoranus
confusum
chaos.

consuit, nunc spiritum, nunc verbum & Dei animam, atq; virtu-
tem prædicans, virginem Mariam summis laudibus evexit, neq;
Evangelicæ doctrinæ adversatus est quatenus à suo non discre-
paret Alcorano. Ut hæreticorum sibi conciliaret studia; cum
Sabellianis unum Deum professus, personarum pluralitatem per-
negavit: Cum Ariani Christo divinitatem ademit: cum Nesto-
rianis ipsi peculiarem quandam Dei adistentiam attribuit; cum
Manichæis Christum crucifixum negavit: cum Macedonianis Spi-
ritum Sanctum creaturam esse dixit: cum Pontificis Purgatorii ex-
pressam mentionem fecit, cum Nicolaitis multitudinem uxorum
probavit, quarum ne essent zelotypi, iussit ut nulla fœmina nisi
opertâ facie prodiret: Et uno verbo, ex omnibus, quæ tum vige-
bant, Religionibus quædam mutuatus, omnibus placere studuit,
ut eò facilius opus illud suum à populo probaretur & accepe-
retur.

3. *Fundamentum & Principium* harum blasphemiarum si quæ-
ris, *Alcoranus* est: liber si sermonis genus consideres, plenus impu-
dicis sermonibus & verborum obscenitate: si rerum seriem, nullo
ordine refertam, si totum corpus, nil nisi confusum chaos & sarrago
est *ψευδερμηνειῶν, ἑρβλῶν ἢ ἐνταλιῶτων*, in sacra scripturæ lo-
cum à Mahomete subditis substitutum, commendatum & tanquã
unica regula, juxta quam omnia ipsorum dogmata sint exigen-
da prædicatum. Hujus originem à Deo esse Impudicus & mendax
illius author asserere non veretur: Epileptico namq; sibi Deum
collocutum esse, atq; hanc legem & religionem tradidisse glo-
riatus est, hocq; ipso cum Veteris tum Novi Testamenti codici-
bus abrogatis, imperito atq; rudi vulgo suas naniarum quisqui-
lias, suos ructus & sua sputa persuasit.

Libri autem appellationem à collectione præceptorum
Dei (ita sua sæpius indigitat *liripipia*) sumfisse, eundemq; à di-
stinctione Alfurcanum dixisse, author est Philippus Nicolai l. r.
de Regno Christi c. 6. 2. Et verò valdè perplexis & inextrica-
bilibus additamentis interpretum obscuratus est; diuque ad-
modum in orbe Christiano latuit, donec tandem nostro se-
culo à Theodoro Bibliandro, Ecclesiæ Figurinæ ministro, per
Herz

Primum Damiatam & Robertum Anglum latine reddidit: Philippus Ni-
primū evulgatus est: Cujus deinde commenta perplexa & hi-
ulca Ioannes Albertus Widmestadianus in qualemcunq; Epito-
men redegit; ē quā Pietatis Turcicæ summa colligere licet ca-
pita.

1. *Maximæ* porro apud Turcas omnes & singulos *Liber Alco-*
ran est authoritatis: Ut enim à Mahometo pro scripto divinitus
tradito jactatus, ita etiam hodiè à Turcis omnibus pro sanctif-
simo libro, quasi Deo dictante conscriptus, recipitur, & credi-
tur solus continere firmissima, omnisq; falsitatis expers, secun-
dum quem tantum judicandum sit de causis & dogmatibus. Im-
mò immane est apud Turcas piaculum, si quis eorum vel impru-
dens Alcorano infideat; homini vero Christiano etiam capi-
tale.

4 Summam sive Pericopen universi Turcismi quod attinet,
tribus absolvitur ea membris, dum scilicet dicitur plena 1. bla-
phemis. 2. futilibus nugis. & 3. legibus detestandis.

De *blasphemis earumq; gravitate, ne prolixiores simus, non ad-*
jiciemus plura, quum nulli non ea è superioribus, ubi cum
nonnullis, in quibusdam, hæreticis Turcismi convenientiam
monstravimus, perspecta & obvia sint; *quot enim miscetur hære-*
sibus, tot etiam hereticorum blasphemis præditus est: Tribus dunta-
xat verbis huc pertinere asserimus blasphema illa, impia & ab-
surda mendacia, quæ cum de Creatore, tum de creatura, eaque
cum spirituali & Angelica, tum de corporali & humana, & qui-
dem tum de seipso, tum de aliis, proponit: quibus de vide sis
Boethium de Rel. p. 31. & Richard. in Ref. Alcor. c. 19. & collige ex Osiand.
Cent. 7. l. 1. c. 14. seqq. Epitomes Historiæ Ecclesiasticæ.

2. *Futiles sunt nugæ, cum quæ Dogmatum Religionis Turci-*
cæ liber credendas proponit, gloriations, cujus modi sunt, 1. Deum
de sua majestate, gloria & excellentia & in numero quidem plu-
rali gloriantē quod introducit: 2. quod de se dictum mentitur il-
lud Prophetam de fratribus tuis, & c. Deut. 18. Et alia quamplurima
quæ singula huc referre nimis longum foret. Tum aniles & plus
quam nugatorie fabulæ, quas cum de his tum de illis habet, singulas

B

Philippus Ni-
col. 1.1. de R.
C.6.

Alcoranus
summæ au-
thoritatis
apud omnes
Turcas.

Osiand. Cent.
7. hist. Eccl. l. 1.
c. 14.

Busbequius

Ep. 1. Legat.
Turcica.

IV. Summa
Turcismi
sunt.

I. Blasphe-
miæ.

II. Nugæ fu-
tiles. eæque
continent.

1. Vanas Tur-
cismi gloria-
tiones.

2. Aniles &
nugatorias
non fabulas.

Fabula de
Ascensu Mah.
in cœlum.

III. Leges
detestandæ
Ecclesiasti-
cæ.

Polyd. Virg. l.
7. c. 8. de In-
vent. rerum.

Politica.

non audent. unquam tantam reverentiam, quam de Mahometi in cœlum & cum Deo colloquio refert. Quod nimirum, accitu Dei, per Gabrielem, animali asino majore, & multo minore vectus sit ad quandam rupem momento celerius: & inde à primo ad septimum usque cœlum, quæ quingentorum (risum teneatis amici!) itineribus à se distant, humeris sit portatus. Et in septimo cœlo se infinitam Angelorum multitudinem, quorum uniuscujusque magnitudo mundum aliquot mille modis superet, spectasse, (rem ridendam non mirandam!) ibique Angelum peccata sua deflentem liberasse, & multitudinem precum ipsius populo impositarum minuisse: Vide hæc & alia apud Richard. c. 14. & 4. & Bodtb. l. d. omnia risu potius quam Refutatione digna.

Quid dicam tandem de Legibus plusquam detestandis? Certe si Ecclesiasticas spectes, superstitionas dices, quotquot sunt omnes, quas de spiritali hominum vita informanda præscribit, quales referuntur de illorum orandi purgandi que modo: Quinquies enim in die orare obstringuntur, Turcæ, nusquam tam præterquam in templis, in quibus præter preces sacra nulla fiunt, & quidem bis inclinatio ad terram capite: Antequam autem precatum eant, omnes corporis partes aqua perquam pura, vel terrâ, si absit aqua abluere tenentur, atque hoc factum in meridiem versi terram deosculari, scilicet si omnia peccata velint absterfa: quum magis deberent animum purgare unde manant veræ preces, quam corpus. Si eas leges quibus politica & privata subditorum instituenda vita, expendas, plerasque videas cum lege divina pariter atque naturali pugnantem. Omnes enim virtutis & honestatis actus & studia, destruunt & evertunt, rapinas & homicidia non tam permittendo, quam præcipiendo: polygamiam, divortium levi de causa, & repudiarum mulierum repetitionem concedendo: & ultionum leges, & quæ ejus generis sunt aliæ innumeræ, præscribendo.

THEOREMA III.

Media quibus propagatus est, atque etiamnum propagari solet Turcismus sunt duo primaria Blanditiæ & Violentiæ.

Ea

proclives admodum ad libidinem: indeq; quovis vento, sibi manæ im-
relictæ se agitari patiuntur, præsertim quum in mundo versentur, becillitas.
cujus judicium pugnat & diametro cum judicio Spiritus Sancti
in rebus fidei; ratioq; nostra extollat sese contra agnitionē Dei,
neq; percipiat quæ sunt Spiritus Dei. Unde fit, ut quemadmo-
dum venena facilius dantur melle circumlita, ita & vitia quæ-
cunq; hominum decipiant facilius animos sub specie umbraq;
veritatis & virtutum.

Ambros.

Quia verò *semper suum habet venenum blanda oratio*, ideò o-
mnium omnino hæreticorum (Diabolo illos adjuvante) prima
exstitit cura, ut in promovendis suis dogmatibus aspidem sub lin-
gua, venenum verò sub hamo offerrent minus providis, sicque
blanditiis & fucatis sermonibus hominibus imponerent ex una, *vio-*
lentiâ verò & armis, blanditiis istis minus prospere succedentibus,
erga contradicentes sibi summâ severitate uterentur ex altera
parte. Usus etiam his est mediis humani generis hostis accer-
rimus, atq; etiam hodiè utitur in propugnanda Religione Tur-
cica. Optimè enim novit, non esse aptius medium, verbum
Dei, fortissimum adversus se suosq; complices propugnaculum
surripiendi, quam *blanda verba & persuasiones speciem Religiositatis*
præ se & Veritatis ferentes; hinc ex altera parte scripta jactat &
summe evehit Prophetica, & Evangelio Christi veritatem & per-
fectionem tribuit; ex altera verò summa Religionis veræ & sin-
ceræ Christianæ capita e mentitis enthusiasmis evertit, universæ-
que doctrinæ divinitus revelatæ authoritatem destruit; scilicet
egregio incautiores decipiendi modo.

Seneca.

Duo veritatē
coelestem op-
pugnandi meo-
dia Diabolo
usitata.

Astutia &
Blanditiæ.

Novit summæ infelicitatis hominem ratione judice prædi-
cari eum, qui *variis arumnis & calamitatibus* affligitur: indeq; hoc
argumento persuadet non paucis; Non posse Dei dilectam esse
gentem, quæ à Deo affligitur cruce & calamitatibus, ideoque
quum nulla gens minoribus pœnis puniatur Turcarum gente,
illam Deo dilectam, sicq; Religione vera gaudentem prædicare
non erubescit Erroris & Mendacii Spiritus.

B 2

Non

Ea

riâ, & cum primis suis gaudere cupiditatibus, verbo licet Deo Deoque ipsi contrariis: ideoque ex voto voluntatis & affectum omnem libidinis liberio rem exercendæ occasionem, & utramque peccandi deterius fenestram aperuit, quod videre est è superioribus.

Non male perspectum habet, *Nihil credi ab hominibus citius iis, quæ cum ratione sive falsa etiam aliqua præconcepta opinione imbutâ, sive sibi soli relictâ conveniunt*: hinc creditu difficilia respuit, & alia quæ parem difficultatem non habent, uti id è corruptione Articuli Trinitatis & aliorum patet, substituit.

Cognitum ipsi nec minus; *Ex primariis unum esse deceptionis modum, coram quovis id simulare, quod maxime amicum & placere alter existimat*; hinc cum Sabellianis Sabellianus in oppugnanda Trinitatis mysterio, cum Arrio Arrianus in neganda CHRISTI divinitate &c. Veterator ille existit & existit.

Scal. Exerc.
298. sect. 6.

Collisione ingeniorum veritatem tandem excuti, negare non audet: Inde ne falsitas luci exponatur, severiter Turcismi sectatoribus de sua religione disceptare prohibuit & prohibet, omnesq; ab ea alienos ut devitent graviter mandat, & contra Alcoranum disputantes excommunicat.

2. Arma &
Violentia.

Sed tandem ne hisce astutis blanditiis, & blandis astutiis speciem aliquam præ se ferentibus, subsidium contra contradicentes & Impietatem hanc recipere nolentes desit: *Arma sunt & Violentia*, quibus ita devincti sunt Mahomethis successores, vicarii & universi subditi, ut anathematis fulmine ferantur, quotquot detrectant pugnatum ire: Hinc *vel maximam partem incrementum & Regni & Religionis Turcicæ totum in armorum strepitu consistit*: Nisi enim horrendas & perplexas Alcorani vanitates, in exulantis scripturæ sacre locum substitutas, Caliphæ Reges & proceres Mahometicolarum cœdibus, incendiis, flammâ ferroq; propagarent, ne teter illusionis spiritus, efferata Tyrannide, sævoq; furore regnis passim locorum subactis, horrorem &

Phil. Nicol. l. 1.
de R. C. p. 170.

judicio rationis qualiscunq; præditos invenirentur, quibus nugæ Alcoranitarum aniles & prodiciosè medaces persuaderi possent.

THEOREMA IV.

Multa sunt, eaq; firmissima, argumenta, quibus Turcismus refutari potest.

Absurdas & manifestè falsas opiniones enarrasse esse easdem refutasse, vulgò dicitur, & verè quidem, quum nemo, nisi vesanæ mentis, in rem manifestè falsam & tot absurdis plenam, sciens credendam consentire videatur: Unde supersedere nos posse Turcismi refutatione, quis non immeritò acclamaret, cum quæ ipsi certitudinis & veritatis laus tribuenda, è dictis perspectu sit facilimum. Verùm enim vero, quum nihil tam absurdum esse videatur, quod non sub aliqua veri ratione incautos decipere & à vero abducere possit; ideò non abs re fore judicamus, si nostra quædam, eaq; firmissima argumenta contra Religionem Turcicam proferamus, iisq; demonstremus, Eam talem esse, quæ vel nullius, vel omninò falsæ religionis loco habenda sit & æstimanda.

Nam 1. *Quæcunq; Religio ab impuri & veritatis cœlestis, a deo- que ipsius honestatis naturalis & civilis contemptoribus & derisoribus profecta & descripta, Diabolis verò grata est atq; accepta, illa nullam certitudinis & veritatis, divinæ laudem meretur, quum qui Christi spiritum non habent, nec fiat ejus, nec cum ipso colligant, sed disperdant. At Religio Mahometica tales habuit authores, uti è superius dictis patet. Ergo.*

Turcismus ab impuris hominibus profectus.

2. *Que à norma divinitus patefacta & miraculis omni creaturæ impossibilibus confirmatæ religionis discedit, & de fundamentis fidei sani & integri nihil habet, illa vera esse & haberi nequit. At Religionem Turcicam esse talem, satis è dictis liquet. Ergo.*

A norma vera Religionis discedit.

3. *Quæcunq; Religio & equitati & juri divino & honestati naturali adversatur, totamq; Religionis normam subvertit, illa pro vera*

Equitati & juri divino & naturali adversatur.

divinæ adversatur & cum jure naturali pugnat. Multa siquidem Religionis sinceræ capita subvertit, & pravis ac adulterinis opinionibus contaminat, imò universam scripturam abijcit, omnemve ipsi fidem, hominum ad religionis suæ solius observatione obligatione, adimit.

Ad hominum
conciliandū
favorem ef-
fictus.
Summum
Bonum in
voluptatibus
ponit carna-
libus.

Quid 4. quod impossibile est ut ea religio, quæ ad captandam auram popularem & benevolentiam ac favorem hominum levium tantum comparata, ex multisq; mendaciis fabulis & nugis confuta est, divina sit. Et 5. deniq; notha & absurda omninò omnis ea Religio existit, quæ hominis summū Bonum & Felicitatem cum pecudum felicitate & voluptatibus confundit, neq; ad Dei consuetudinem & consortium adducit, sed abducit. Qualis quia Religio Turcica est, neq; media neq; modum Deum placandi, cumq; accedendi monstrans, & voluptates carnales, æternam felicitatem constituens, nemo non videt, eam profanam & absurdam esse, & vel nullo vel omninò falsissimæ Religionis loco habendam.

THEOREMA V.

Optimus Turcas convertendi modus videtur esse, falsitatibus & absurditatibus monstratis, veritatem doctrine cælestis diligenter proponere & inculcare.

Num ali-
qua Turca-
rum speran-
da conver-
sio.

Num Turcarum aliqua sit speranda conversio ambiguae disceptationis esse videtur, quum non tantum perversa & obstinata ipsorum malitia, & fraudulenta verbi Dei subtractio, verum etiam omnis de Religione ipsorum Disceptationis interdictio simpliciter illam denegare videantur; Verum enim vero quoniam Dei non tantum seria est voluntas ut omnes homines salvi fiant & ad agnitionem veritatis perveniant. 1. *Timoth. 2. vers. 4.* & non vult Jehovah mortem cujuscunq; peccatoris, sed ut convertatur & vivat *Ezech. 18. v. 23. & c. 33. v. 20.* ipsisque Turcis magna pars Christianorum admista est, quibus conjuncti vi-
vunt,

vult, ut universam Turciam Christianis abundante experientia
testatur, & monstrat Persia adeoq; totus oriens, Tattaria ma- I. de R. C. c. 60
gna Syria, Asia, Ægyptus Africa & Maritania (ubicunque Al-
coranitæ regnant) tantam Christianorum multitudinem, ut si
numero certandum fuerit, uni Musulmano ad minimum tres
Christiani opponerentur; videre non possumus, cur omnis o-
mnino (difficilis licet admodum) Turcarum conversio sit ne-
ganda.

Irriti autem complurimorum exstiterere conatus, qui mo-
dis in verbo Dei nullum fundamentum habentibus, sed ex ho-
minum nonnullorum opinione originem trahentibus, vel armo-
rum vi vel aliis Turcarum conversionem meditati sunt: quorum
modos suis defensitandos atque curandos relinquimus Inven-
toribus, hunc processum verbo Dei maximè conformem, expe-
ditioem & fructuosioem æstimantes, quo initio totius Religionis
*vanitas & varia absurditates & falsitates deteguntur & demonstran-
tur; post verò doctrinæ cœlestis veritas sedulò ex verbo Dei proponitur &
inculcatur.*

Atque hunc modum, & Prophetas & Apostolos usur-
passe, in convertendis sive hæreticis sive gentilibus, è sacris con-
stat. Elias vanitatem cultus Baalitici, miraculo obfirmat, & do-
cet. Non Baal sed Dominum Deum exercituum verum esse Deum
1 Reg. 18. 24. Hoseas totus in eo est ut absurditatibus cultus ido-
lorum monstratis, veram in auditoribus suis veri Dei plantet no-
titiam: uti vel è c. 8. v. 4. & c. videre est Paulus Conversionem
Romanorum prædicans, initio ipsos quum in gentilismo vixis-
sent, vanos fuisse in cogitationibus suis astruit, post vero salutarè
illis Evangelii doctrinam proponit. Rom 1. & c. Atq; hic modus
ratione non destituitur: Quum certum sit & indubitatum, posse
*facilimè ad veritatis deduci agnitionem, qui ad erroris agnitionem addu-
ctus est.*

Maxima proinde cum lenitate cum convertendis Turcis
agendum, & placidè falsitas Turcismi initio è Verbo Dei mon-
stranda est, qua solidè refutata nullum superesse potest dubium,
quin ipsa Verbi Dei prædicatio suum fructum sit habitura, &
effica-

infallibiliter vera sit Dei promissio Esa. 55 v. 10. & certa prætera Pauli pronuntiatio, quâ Evangelii prædicationem dicit virtutem Dei in salutem omni credenti, Judæo pariter & Græco, Rom. 1. v. 16. & fidem (omnem proinde Conversionem hominis) esse ex auditu Verbi Dei, Rom. 10. v. 17.

THEOREMA VI.


Questionem Utrum Turcismus ante diem novissimum penitus sit interiturus? in dubio relinquimus.

Acriter hæc quæstio ventilari potest, cum primis quia pro affirmativa sententia expressi videntur haberi textus quorum alter est Ezech. 38 v. 23. & 22. Alter vero habetur in Apocal. cap. 20. v. 10. è quibus totalem & omnimodum Regni Turcici interitum demonstrare conantur. At verò quia allegati textus non simpliciter de *Totali aliqua, ante gloriosum Christi adventum* Turcici regni ruina, (magna licet ejusdem clade) loqui videntur, neq; ulla affirmationis indubitata è sacris literis depromi potest ratio & demonstratio, sunt quamplurimi, qui in negativam descendunt sententiã, concedentes tamen magnam utriusq; Antichristi fore cladem, ut in nihilum quasi redisse uterque videatur. Quæ omnia utut sint; distinctio hic observanda est inter externam potentiam Turcarum, & Turcismum sive religionem ipsarum, ubi, Illa licet oppressa & diruta. (Quod tamen num *Totaliter* eventurum sit, nulla hæctenus certa siquidem visa est ratio, adhuc ambigitur) hanc simul penitus deletum iri certò affirmari nequit, quum contrarium potius stabiliri videatur ex Luc. 18. v. 8. Ubi Salvator se fidem rarissimam inventurum in glorioso suo advenu asserit, quod de fide Politica si interpretis, eam etiamnum in Turcismo esse maximè languidam experientia testatur, quæ nec fratrem à fratre, nec hospitem ab hospite esse tutum docet; si de salvifica, nulla apud ipsos existit, sed omnis illorum quam jactant, fidem, non est nisi malitiosa à vera fide defectio, & è 1. Timoth. 4. versibus tribus prioribus. & 2. Tim.

stoli testantur, ut quo magis fini mundus appropinquet, eo secu-
lentiora quoq; tempora futura, in quibus de Christo & Évange-
lio sana doctrina oppressione passura, Impietas verò contra
Deum & ejus verbum revelatum apud majorem hominum par-
tem obtentura, magnaq; piis sint expectanda omnibus pericula,
& ut compendio dicamus quod res est: **ATHEISMUS** ubique
fere locorum longe lateq; sit regnaturus. Qui quia in Turcismo summus
dprehenditur minus probabile quibusdam videtur Totalem TURCISMI
adstrui posse ruinam. Nos, quia speciale & proprium ad hanc quæ-
stionem spectans argumentum non habemus, neq; omnia quæ si-
ve pro hac sive pro illa sententia adducta dextrè applicari pos-
sunt, potius hic cum Augustino dubitare, quàm de incertis atq;
occultis pertinaciter litigare volumus: Ideoq; Problema hoc
tanquam minus evidens in dubio relinquentes, Finem Disquisi-
tioni nostræ imponimus, hicq; pedem figimus, Deum seriis vo-
tis invocantes, ut oculos & nobis & si qui ex iis convertendi, illis ape-
riat, quò videntes Impietates & suorum & aliorum, incendantur ad fi-
dem veram, inq; ea firmentur, nobiscumq; olim non dubitatam vitæ
non interitura felicitatem consequantur, per Christum,

Amen.

Μόνω τῷ Θεῷ δόξα ἐν
ὑψίστοις.



C

PRÆ-

PRÆSTANTISSIMO ATQUE LITERA-
TISSIMO,

Dn. M. ADAMO Mahner / amico nostro
singulari de Turcismo Disputanti.



*N*escias quis eat digni quod laude, ferocem
Qui Turcam ferro, fulmine & igne petunt.
Nam vitam obijciunt pro Libertate parati;
Ducentes pulchrum pro Regione mori.
Ast manet hos major laus, qui Mahometica verbo
Fortiter oppugnant dogmata falsa sacro.
Illi depellunt à corpore tela; venenum
Hi pellunt anime quod nocuisse queat.
Pro Regione illi vigilant noctesq; diesq;
Hi vera ut constet Religionis bonos.
At ectis illi flammis, hi vero gehennam
Arcent; en ratio disparitatis adest.
Ergo quod MAHNERE Tibi laus magna resultat
Errata ostendis dum scelerata vides.
Macte laude tua, zeloq; armatus in hostem
Juratum ruo; Victor abibis ovans.

deprop.

HENRICUS à Gebottendorff
Nob. Sil.

Quid

Quid facis, aut quomodo tendis in doctæ magister
Quoddam sæpe sacram persequeris cathedram?
Scilicet intrepidus imitaris Martis alumnos,
Qui crebrò vi hostis castra tremenda petunt.
Perge ita. Nam potes, & poteris. Te namq; juvabunt
Si non ipsi homines: attamen ipse DEUS.

Adpov.

T. Sincerus

M. VALENTINUS KINLENIUS
Prausnicensis.

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



05 A 757

ULB Halle
003 766 675

3




110 119

61







IN
SYSTEMATIS THEOLOGICI PARTEM
Primam Generalem,
DE RELIGIONE ET EJUS ARTICULIS
generatim consideratis
DISPUTATIO IX.
De
RELIGIONE
TURCICA,
Quam
DEI ter Optimi Maximi Clementia,
Feliciter Adspirante,
In Illustri Leucorea
SUB PRÆSIDIO
BALTHASARIS MEISNERI
S.S. Th. Doct. & Prof. publ.
Ad placidam συζητησιν proponit
M. ADAMUS Mahner / Uratislav, Siles.
Ad diem 10. Maij horis pomerid. in Auditorio Minori.

WITTEBERGÆ,
Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI,
ANNO M DC XXVI.